DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

James Semple

DE

FLUORE ALBO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*
et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDMUNDUS BLACKALL HIBERNUS,

ad diem quintum Maii, hora locoque solitis.

Eam quippe desideramus Theoriam, quae a Praxi faelicissima sit deducta, ad eamque rursus accomodata. FREIND.

EX OFFICINA ROBERTI FLAMINII. M. DCC. XLIX.

ORNATISSIMO VIRO

ROBERTO WHYTT

MEDICINAE THEORETICAE APUD EDINENSES

PROFESSORI ERUDITO, DISERTO;

HOC QUALECUNQUE TENTAMEN MEDICUM,

GRATI CERTE ANIMI INDICIUM,

D. D. D.

EDMUNDUS BLACKALL.

DISSERTATIO MEDICA

DE FLUORE ALBO.

QUUM hujus Academiae legibus ſapienter ſanci-tum ſit, ut hi qui titulum medici ambiunt, non ſolùm tentamina varia privata ſubeant, ſed etiam ſpeci-men quoddam in ſtudiis diligentiae, et in arte medica peritiae, publici juris faciant. Huic legi lubenter ob-temperaturo, inter alia argumenta, mihi maxime arridet quod *Fluorem Album* tractat: qui ſanè morbus ſexum a-mabilem ſolummodo infeſtat, immaniterque opprimit aegraſque miſerrimas ad officia omnia ſocialia ac dome-ſtica peragenda ineptas omnino reddit.

Hicce affectus variis nominibus apud authores inſig-nitur. Graecè enim dicitur ῥοῦς γυναικεῖος, Latinè Fluo vel Fluxus Albus, Muliebris, Uterinus, Gonorrhae non virulenta, Menſtrua alba, noſtroque idiomat THE WHITES.

DIAGNOSIS.

Signa quibus hujus morbi praeſentia dignoſcitur, u ab authoribus memorantur, ita ſeſe habent.

Stillicidium fit ex utero ferè perpetuum, humoris a bi, pallidi, citrini, viridis, quandoque etiam ſubnigı pro varia ejus indole, quae nunc mitis, nunc acris mordax eſt. Huic modò nullus odor, modò gravi adeſt: aegrae facies pallet; urina cruda eſt, in qua ſe

dimentum pituitoſum et inodorum obſervatur, unà cum flocculis albis ſupernatantibus; lumbi, abdomen et hypogaſtrium dolent atque gravantur; cor ſaepè palpitat; pulſus mollis eſt ac parvus; proſternitur appetitus: morbo autem inveteraſcente, oculi et crura intumeſcunt; dyſpnoea, atrophia, &c. invadunt.

AETIOLOGIA.

Chemicorum regno adhuc vigente, philoſophia naturalis et tota medicina igne et fermentis aeſtuarunt. Corpus etiam humanum pro alembico habetur, et univerſae ferè cauſae morborum, aequè ac viſcerum functiones, per neſcio quas fermentationes explicantur. Hae fermentationes totae maſſae ſanguineae (ſi diis placet) latè dominantur, vel partem aliquam aut viſcus tantummodò occupant, prout ratio explicandorum phoenomenῶn poſtulat. Morbus etiam, de quo agimus, ex principiis chemicis et ratiociniis deducitur: SYLVIUS enim ſtatuit cauſam fluxûs albi moderati multoque ſaepè tempore notabili ſine noxa durantis, fermentum eſſe aliquod acido auſterum, in utero productum, maſſâ ſanguineâ interim non multum mutatâ, immoderati verò fermentum ſanguinem late vitians. Haud ad rem erit Veterum ſententias, de hujus morbi cauſis, recenſere: primâ quippè fronte opinionum commenta eſſe videntur, tempuſque eas redarguendo fruſtrà tererem: horum verò opera haud parvi facit aequus rerum aeſtimator: fatendum enim eſt, multa eorum ſcripta aureis utiliſſimiſque obſervatis plena eſſe

ubique

ubiquè atque referta; quamvis ex ignorato ſanguinis circuitu. Cauſae verae morborum ſaepiùs eos latuerunt; horum ſymptomata ſive phoenomena accuratè pinxerunt, omneſque morbi mutationes, per totum ejus decurſum, ſummâ curâ atque fide notarunt. Quippè in nullius hypotheſeω̃s veritatem jurantes, obſervata propria nuda, et ex natura hauſta, tradiderunt; quorum auxiliis, unà cum ſanguinis rotatione, HARVEO detecta, qualitates occultae medicaminum, tum cauſae morborum reconditae, inveſtigatu faciliùs erant.

His praemiſſis, cauſas hujus morbi paulò propiùs jam ſpectemus, quae in proximas et remotiores dividi queunt: quaſi cauſae proximae ponuntur laxitas vaſorum uterinorum atque glandularum circa uteri os et in vagina haerentium, et tenuior humorum diatheſis. Cauſae remotae multiplices eſſe poſſunt; memoratu autem digniores ſunt quae ſequuntur, (ſcilicet) organi chylopoietici cujuſvis laeſa functio; vulnera aut contuſiones loci affecti; menſium et lochiorum fluxus immodicus eorumve ſuppreſſio; pathemata animi vehementiora quies nimia et exercitium immodicum; atque haud rarò (obſervante MORTONO *) hujus morbi parens fuit lues venerea: quibus tutò licet adjicere Theae Infuſi uſum nimium, qui apud foeminas plus ſatis ſibi indulgentes diù jam invaluit.

Ex Memoratis ſymptomatum ratio facilè patebit. Sub morbi enim initio, ſtillicidii indoles eſt mitis, ſe-

run

* Phth. lib. 1mo, cap. iv,

rum ſanguinis aut chylum recentem quodammodò referens; unde color albus aut pallidus, atque odor ferè nullus: humor ergo plicis vaginalibus aut alio quovis modo irretitus ſtagnando putreſcit, atque naturam ſatis acrem induit; ulcuſcula et eroſiones hinc proveniunt, ex quibus color fluxûs viridis, citrinus aut nigreſcens pro gradu acrimoniae nato evadit. Sanguinis diatheſis tenuis et pituitoſa eſſe dicta eſt; unde facies pallida, omneſque ſecretiones turbatae; quare vaſa renum ſecernentia, ſolito juſtoque laxiora, partes ſanguinis craſſiores ſimul cum urina demittunt; hinc ſedimentum crudum et pituitoſum. Lumborum, abdominis et hypogaſtrii dolor gravitaſque à debilitate vaſorum, per haec loca decurrentium, pendent; vaſa quippè laxa et debilia tardè admodùm et difficulter ſanguinem ad cor revehunt, hinc, turgida et varicoſa facta, ponderis doloriſque ſenſum creant. Palpitatio autem, ab inordinata ſpirituum animalium tum ſecretione, tum derivatione, oriri videtur: à cordis arteriarumque viribus morbi diuturnitate fractis, fit pulſus parvus atque mollis. Quamdiù corpus noſtrum rectè ſeſe habet, ventriculum atque inteſtina muco quodam laevi prudens natura obducit, hoc nimirum conſilio, ne papillae nerveae ab ingeſtis, vel etiam humoribus inquilinis, irritatae dolerent. In hoc verò morbo mucoſae glandulae, ob earum laxitatem nimiam, majorem hujus liquidi copiam ſecernunt, quae adeò non prodeſt, ut multùm etiam obſit: fibrae enim ventriculi et inteſtinorum muſculares,

lares, humorem hunc viſcidum lentumque excutere nequeunt; aucto verò et accumulato repletionis gravativae ſenſus continuò excitatur; nauſea denique et vomitus ab indebito quolibet hujus muci motu oritur. Adoleſcente malo, cum vaſa penitùs laxantur, fluidaque in aquoſam aut pituitoſam prorſus indolem abierunt, omnia tument, gravantur, dolent; lentore pulmo obruitur; vitaeque fuſis viribus, languet, aut ceſſat concoctio; Atrophia incumbit, et Lypothymiae mortem brevì inſecuturam docent; uti olim memoravit HIPPOCRATES:* Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

Priuſquam Prognoſin inſtituamus, neceſſarium prorſùs erit ab aliis affectibus hunc fluxum ſecernere, (ſcil.) à fluxu menſtruo decolori atque Gonorrhoea virulenta; à menſibus verò decoloratis multùm ſanè decedit; hi enim ſtatis tantùm periodis erumpunt, fluxus autem de quo agitur nulla ferè intervalla novit. Quum verò fluida atque ſolida peſſimè in utriſque ſeſe habeant, eandem curationis methodum (ſi topica excipias) poſtulare videntur: à Gonorrhoea autem non adeò facilè dijudicatur. Practici quidem authores, certiſſimis ſignis fluorem hunc à Gonorrhoea diſtingui volunt; HOFFMANNUS enim atque BAGLIVIUS (magna certè nomina) ſequens non fallax, uti aiunt, ſignum dederunt, (ſcil.) ſi tempore menſium Fluor Albus adſit, morbus quo aegra divexatur, Gonorrhoea Gallica eſt, ſi verò, durante menſtruatione

* Sect. 5. Aph. 56.

tione, evanefcat, et, eâdem finitâ, denuò regrediatur, pro certo habeamus, mulierem Fluore Albo uterino laborare. Hoc certè fignum infallibile effet, fi Fluor Albus finus uteri folummodò occuparet; fed quum omnes norunt hujus morbi fedem in locis extra-uterinis, (fcil.) in vafis exhalantibus et glandulis vaginalibus, faepiffimè haerere, cautè pronunciandum de morbi genio, ne famam (quâ foeminis nihil chariùs eft) vitamque, ex mala morbi tractatione, fimul eripiamus. BOERHAAVIUS, quem etiam fors humana quandóque erroribus premit, in eundem planè incidit; de morbo enim Venereo agens, haec habet *; "In veretro externo cancri, in interno "Gonorrhoea; in vagina Fluor dictus Albus." Signa autem fequentia rariùs, fi quid ipfe in hac re judico, medicum fallent; v. g. copia fluxûs Venerei multò minor eft quàm Fluoris Albi, acriorque evadit, atque cum intenfiori ardore et calore faevit. Porrò fi nupta fit aegra, vir autem labe non inquinatur, Fluorem Album adeffe tutò licet colligere.

PROGNOSIS.

Morbus hicce in junioribus, nec valdè debilitatis, parùm fecum adfert periculi; faufto enim omine faepiùs propinantur remedia: fed in vetulis, cachecticis aut cacochymicis, quibus menftrua defiêre, vel penitùs fubftitêre, omnino aliter evenit; aetate enim grandiores aegrè fanantur, quoniam in his fibrae ferè immobiles funt; fibras verò fenectute obrigefcentes nefcit medicina corrigere.

CURA-

* Aph. Par. 1447.

CURATIO.

Ad medendi methodum nunc perventum eſt; de rerum, ut aiunt, Non-naturalium uſu atque adminiſtratione pauca ſunt dicenda.

Aere ſereno utantur aegrae pauloque calidiori; ſaepiùs et parvâ quantitate cibum facilè viſceribus ſubigendum ſumant, quique eâ eſt mollitie ac fluore, ut, priùs quàm ingeratur, chyli ſpeciem aliquatenùs prae ſe ferat. Frictiones eximium praeſtant uſum, languentem enim ſolidorum vim mirum in modum excitant. Idem faciunt vectiones in Equo, Rheda, Navi, ambulationes, curſus. Potus ſit paucus ex vinis auſteris et meracioribus, interpoſito aquae calcis, Briſtol. et Piermont. uſu. Acida fugiant; nam, teſte DOLAEO *, hic morbus in Belgio frequentior eſt, quia ibidem mulierculae in menſa abutuntur Acetariis. Quamvis autem Acidorum uſum incongruum eſſe DOLAEO lubens darem; hujus morbi tamen in Belgio frequentiam, non minùs ab Aere humido et pluvioſo, quàm ab Acidis contingere opinor. Pathemata animi immoderata, (ante omnia Moeror) vitentur. † Affectus animi violenti aut diù permanentes iidem, cerebrum, nervos, ſpiritus, muſculos, mirabiliter et efficaciſſimè mutant, figunt, depravant; unde quoſcunque ferè morbos valent producere et fovere, pro ſua diverſitate et duratione.

Ad hunc morbum faſtidioſum debellandum requiruntur Solidorum firmatio, et Fluidorum condenſatio.

Curatio

* Dol. lib. v. de mul. morb. † Boer. med. inſt. parag. 771.

Curatio autem incipi debet, alvum semel atque iterum ducendo, medicamento purgante ex Calomelano et Rhabarbaro composito: sic enim Ventriculus atque Tubus intestinalis à viscido phlegmate expurgantur; corrigitur Humorum mala diathesis, Revulsio quoque fit ex uteri vasis. Quò spectat illud HIPPOCRATIS; Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γιγνόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.*

Ad solida roboranda, atque Humorum tenuitatem nimiam corrigendam, conveniunt,

1mo, Medicamenta amara, viz. Gentiana, Cortex aurantiorum, Centaurium minus, Calamus aromaticus, &c.

2do, Roborantia et leniter adstringentia; Chalybs, Crocus Martis adstringens, Cortex Peruvianus, G. Olibanum, Mastiche, &c.

3tio, Constringentia fortiora; Cortex Quercûs, Radix Tormentillae, Flores Balaustiorum, Sanguis Draconis, Alumen Rupeum, Aquae Aluminosae, &c.

Saepe Sudorifera et Siccantia prosunt; ut Decoctum Lignorum, et Aqua Calcis.

Si Fluor Albus a peculiari vasorum uteri laxitate, potiùs quàm à vitio generali solidorum et fluidorum totius corporis pendeat, tunc praesertim (suadente CELSO †) conveniunt medicamina topica roborantia: haec enim cum ipsi parti malè affectae immutata applicentur, majorem

* Hip. Aph. Sect. 5. Aph. 36. † A. C. Celsi l. iv. si maligna purgatio est, subjicienda sunt coercentia.

jorem edere debent effectum quàm si Ore hausta fu-
rint. Talia sunt,

1mo, Fotus, vel Injectiones ex radice Torment-
cortice Quercûs, Foliis Rosarum rubrarum, Menth-
siccae, Majoranae, in Aqua Ferraria vel Vino rub-
coctis.

2do, Fumi G. Myrrhae, Olibani et Masticches a-
censorum.

Si unà cum Fluidorum nimiâ tenuitate adsit Ac-
monia, imprimis opitulantur Mucilaginosa, sive si-
G. Arabic. Tragacanth. Ichthiocolla, Gelatina è cor-
cervi.

F I N I S.

James Semple
of Dungannon
and County Tyrone

Conrad
Goodman
Conrad the
mity Servant
mon Well Carried
the has sived
they heart
the is nomuch
thy suport to
Comply and too to
fair select the [illegible] did
God be praised
I say it

February the 10th